DE ÆTATE

CARMINUM ANACREONTICORUM

DISSERTATIO ACADEMICA

PARIS

DURAND, 3, RUE DES GRÈS-SORBONNE

Et chez les principaux libraires.

A DOUAI, CHEZ AD. OBEZ, RUE DE BELLAING, 4.

—

1848

THÈSE LATINE

DE ÆTATE

CARMINUM ANACREONTICORUM

DISSERTATIO ACADEMICA

PARIS

DURAND, 3, RUE DES GRÈS-SORBONNE

Et chez les principaux libraires.

A DOUAI, CHEZ AD. OBEZ, RUE DE BELLAING, 4.

—

1848

A JAY

VIRO IN CRITICA SAPIENTISSIMO,

ACADEMIAE GALLICANAE SOCIO,

Observantiam summam
testaturus
Offert

F. COLINCAMP.

PRÆFATIO

THÈSE LATINE

eâdem, quâ epicus Homerus, vel non multo dispari lauro donaretur.

Ac tamen permulti jàm Rhenani critici fusè et copiosè ea, quibus Anacreonticorum carminum auctoritas impugnaretur, protulêre. Nullus enim fortassè plures quàm Anacreon sui vel adversarios vel defensores nactus est poeta vetus.

Cornelius nempè Pauus, Fisherus, Mæbius, Melhorniusque hinc, indè doctissimus Lindanus, ille acer quidem sed parùm felix anacreonticarum cantilenarum antiquitatis propugnator, admonere debuissent vel fanaticos admiratores.

Prodiêre tamen solâ in nostrâ Galliâ, ab ineunte sæculo, vel octo vel novem interpretationes editionesque Anacreontis, neque in ullâ harum incidit vel minima de antiquitate poetæ dubitatio.

Haud equidem ego cogito sapientissimos judices meos, lumina litterarum atque omnis bonæ disciplinæ, quibus hæc destinatur dissertatiuncula, veritatem jam obsoletam edocere : quippe quivis eorum rem, de quâ agitur, me planiùs ac meliùs profecto exploratam habet.

Ast alii criticorum abjudicant Anacreonti so-

tummodò partem carminum, sicut Wolperus, in dissertatione de antiquitate Anacreonticorum, nec non ante illum varii, qui suprà nominati sunt, rhenani editores : alii verò quemadmodum Bergkius [1], vel etiam O Muellerus, vel Bernhardy ulla negant esse Anacreonti attribuenda, sed nullam hujus opinionis causam afferunt. Horum igitur atque illorum sententia, quàm brevissimè potero, in examen adducta mihi causam præbebit ea profitendi, quæ de re in medium positâ censeam.

Velim igitur illud, quod omiserunt, non sine probabili causâ, illustrissimi critici, hodierno die dilucidare ac perficere. Hinc, ut spero, constabit omnibus ad unum carminibus si non suus natalitius dies (quod quidem fieri non potest), at certè novitas illa quam docti affirmavêre, nec verò satis comprobaverunt.

Versabitur disquisitio nostra in historicis argumentis quæ plurimùm, ad rem quam tractamus, conferunt. Non tamen nullum operæ pretium erit, aliquandò æstheticas quasdam rationes explicare,

[1] Bergkius, Anacr. ed. page 4, p. 452. — O. Muellerus, hist. græcæ litter. 338. — Bernhardy, hist. græc., lett. II, p. 497.

si necesse fortè sit aliquot odariorum penitùs inspicere, qualis sit compositio, qualia sint verborum ornamenta, qualis denique sit poeticus spiritus.

Sed antequam ad hæc perveniamus, totius quæstionis nostræ historiam, ut ità dicam, describere in animo est, ut ex ipsis vicibus, quas perpessæ sunt Anacreonticæ camenæ, opinio nostra certior fiat, et firmiori argumentorum serie nitatur.

Duplex hujus enarrationis facies mihi videtur : non enim considerandum est solùm quomodò propagata sint Anacreontis carmina, quomodò immutata vel deformata per imitatorum pecus seu ethnicorum seu paganorum, necesse est quoque videamus quid censeri debeat de Anacreonticorum collectionibus, quid de codicibus per quos nostras inter manus pervenerint.

Opus institutum aggressurus, debeo fateri multa mihi vel excogitatione digna vel colligenda præbuisse tum Levesquium in descriptione codicis Vaticani, tum Bergkium editorem reliquiarum *Anacreontis* veri carminum

CAPUT PRIMUM.

HISTORIA TEXTUS ANACREONTICI

USQUE SUB FINEM IMPERII ROMANI.

CAPUT PRIMUM.

HISTORIA TEXTUS ANACREONTICI
USQUE SUB FINEM IMPERII ROMANI.

Diù multumque quæsitum est, utrùm scripturæ mandata fuerint Homeri carmina, an memoriæ soli tradita : idem fortasse requiri possit haud immeritò super Anacreonte : sed in illo res hæc multò minùs addubitanda est : eâ quippe erant humanitate atque erudito luxu Ionicæ coloniæ, eo cum cæteris Orientis partibus commercio utebantur, ut artem illis ignotam fuisse sine quâ mercaturæ jacent cessantque, incredibile videatur.

Cæterùm quatuor sæculis senior Græcia ex adolescentiâ post Homerum ad juventutem evecta

erat, multumque per illud longum temporis spatium discere potuerunt homines terræ ingeniosissimi in rebus vitam commodiorem elegantioremque facientibus. Quòd si vulgus artem scribendi nesciret, poetis profectò illa notior erat. Anacreon autem regibus acceptissimus, Polycrati tyranno παιδάγωγος admotus, si credere licet Himerio[1], dein eidem amicissimus ut, Herodoto[2] auctore, vel maximarum rerum testis adhiberetur, artem scribendi profectò exploratam habuit. Nec aliter enim ipse carmina tueri ac conservare potuisset, cùm modo Tei, modo Sami, tum Athenis, tum Abderæ vixerit, neque unius in populi memoriâ, propter plurimas auctoris peregrinationes, adhærere possent atque commoratione coalescere cantilenæ. Diascevastas in illius versibus recolligendis operam dedisse parùm credibile est, cùm ipse forsan editionem operarum suarum curaverit Athenis. Pisistratides enim ille Hipparchus[3] qui

[1] Himerius, Or. XXX, 3.
[2] Herod., 3, cap. CXXI.
[3] Plato. Hipparchus.

ad eum misit navem quinquaginta remis instruetam, ut Athenas majore cum pompâ ingrederetur poeta nobilis, profectò juxta Homericas camenas à patre collectas, lyrici Teii versus collocare debuit.

Ex hâc Attica editione venêre sine dubio postea vel novæ editiones, vel commentationes Alexandrinorum criticorum. Illi cùm canona novem lyricorum constituerunt post Pindarum et Bacchylidem, nominabatur Anacreon juxta poetas « *undè omnis lyricus manaverat haustus,* » ut verba incerti[1] auctoris usurpem.

Nec defuit carminibus hujus recensendis illorum indagatio. Ante omnes Zenodotus Ephesius, quemadmodum testatur scholiasta Pindari[2], Anacreontis carmina jam situ vetustatis obducta purgare ac renovare instituit : et emendatio quidem plus æquo audax et temeraria.

Post illum Aristophanes Aristarchusque ille rei criticæ verè parens Anacreonticum textum limâ

[1] Ant. Pal., p. 62, 184, ep. inc. auct.
[2] Pind. Olym., III, 52.

acutissimâ prosecuti sunt, quâ cæteros antiquitatis auctores.

Mentionem facit Hæphestio grammaticus duarum recensionum Anacreontis[1]. Num bis in illo explicando versatus est Alexandrinorum labor? Nùm dissimiles erant Aristophanis atque Aristarchi editiones? Nùm jam Hæphestionis tempore pro veteri textu novæ fiebant editiones in quas subrepere tentabant nova carmina?

Verisimillimum est ex Atheneo[2] plures nostro auctori interpretes exstitisse qui forsàn liberiùs grassati sunt in textu explicando vel etiam immutando. Tenarum nominat Deipnosophistarum auctor; Suidas[3] Seleucum quoque quemdam et Heracleona Anacreontis carmina tractavisse narrat : ad verbum ἀϐρὸς Orion nescio quem designat interpretem Anacreontis.

Sed horum longè celeberrimus fuisse videtur

[1] Hephæs., ed. Gaisford. page 125.
[2] Athen., XII, XV.
[3] Vid. Suid., Σέλευκος, Ἡρακλέων.

ille Chamæleon Ponticus quo uti non dedignatur Athenæus[1].

In Didymum quemdam invehitur Seneca[2] disquirentem ebriosiorne fuerit Anacreon an libidinosior; hic nonne quoque fuit poeta nostri commentator? Hephæstio quoque de coronâ viticeâ περὶ τοῦ παρὰ Ἀνακρέοντι λυγίνου στεφάνου disputavit.

Hi quidem omnes in rerum interpretatione toti erant; res autem et verba ita arcto conjunguntur vinculo ut difficile sit, inter tot variorum commentatorum opiniones diversas, textum integrum Anacreontis remansisse atque intemeratum illum quem Alexandrini constituerant.

Videtur tamen diutissimè conservata fuisse vetus carminum divisio in quinque libros ab illis veteribus criticis instituta. Namque in lexicographo Ammonio[3], in Etymologico Magno[4] mentio fit illius priscæ distributionis. Tunc temporis tamen

[1] Ath., lib. XII.
[2] Epis. LXXXVIII, 32.
[3] Ammo. Syn., ed. Walke, 42.
[4] Ety. mag., v. Μόθος.

jamdudùm propter imitatorum vel græcorum vel fortasse romanorum multitudinem, nonnisi in grammaticorum et metricæ studentium manibus verus Anacreon erat. Terentiani enim sæculo Mauri jam videtur ista veteris poetæ ad summum pervenisse vel oblivio vel incuria. Quippe qui non audeat affirmare quo metro Anacreon *dulces composuerit cantilenas*, sed ad publicam quasi famam provocat cùm dicit[1]: *metrum quo memorant Anacreonta dulces composuisse cantilenas*.

Nonne apparet indè jam hæsitasse doctos in certâ metri verè Anacreontici designatione : quod quidem vix intelligi posset, nisi admittas illos dubitasse quoque de origine tot odariorum quæ imputabantur Teio vati, cujus tamen, si credimus Athenæo, carmina in ore omnium, propter antiquitatem, ait, et simplicitatem, circumferebantur.

Deipnosophistarum auctor ille qui tot inutilia cognoscebat forsan paulo animadvertit hanc ipsam

[1] Terentianus Maurus, 1246. Libri duo quæstionum Anacreonticarum non parum nos adjuvêre hanc enarrationem anacreontici textûs adumbrantes.

celebritatem Anacreonti nocere. Nulla enim, me judice, alia causa gravior fuit cur antiqua paulatim perderentur carmina quam ista consuetudo in comessationibus, cùm jam cœna secunda apponeretur, recitandi carmina ad compotandum excitantia : quilibet igitur suam stropham vel demebat, vel adjiciebat ; mox ipsi compotatores servulis relegaverunt curam ediscendi canendique convivales cantilenas. Audite certissimum Gellii testimonium :

« Ubi eduliis finis, et poculis mox sermonibusque tempus fuit, desideravit[1] Antonius Julius rhetor exhiberi quos eum adolescentem è terrâ Asia habere sciebat scitissimos utriusque sexûs, qui canerent voce et qui psallerent ; ac posteaquam introducti pueri puellæque sunt, jucundum in modum ἀνακρεόντεια pleraque cecinerunt. »

Sed antequam ea discerent famuli in scholis ad hanc disciplinam institutis, jam a dominis sensus et verba veri Anacreontis immutari omnimodo

[1] Aul. Gel., Noct. att., XIX, 9.

debuerant. Nam præter cujusque variam indolem, de quâ modò mentio facta est, nonne in singulis provinciis et nationibus græcis quæ loquendi ratione diversissima utebantur, hinc illinc aliarum dialectorum formas admisêre odaria? Paulatim diversis è fontibus orta, sed argumento atque metro non ita dispari carmina uni Anacreonti attribuebantur. Sic quemadmodùm censet O. Muellerus diversa eorum natura ex diversâ imitatorum conditione profecta est. Quod quidem nullo alio demonstrabimus argumento quam recurrentes ad illam ipsam odam quam nobis conservavit Gellius. Simul illa nempè reperitur in codice Vaticano necnon in editione quam Henricus Stephanus usus deperditis hodiè manuscriptis collegerat. Tertiam versionem continet Anacreonticorum epigrammatum Florilegium. Quid tum? eidem carmini ter repetito ter diversus finis est : adeò non inter se Stephanus, Gellius codexque Vaticanus constant, propter illam originis diversitatem cujus suprà ratio copiosè reddita est.

Simplicissimus in Florilegio illius finis, nec ibi indignus admiratione illâ Gellii, quam, ut æquum est, alio in loco judicabimus : tres post *στυγνὸν Ὠρίωνα* versiculi tantùm, senos contra habet Vaticanus Gelliusque; Stephanus in quo longe pessima ecdosis est octonos versus profert, eosdem satis malæ notæ et eadem usque ad fastidium repetentes. Necesse erat igitur post quoddam temporis spatium, nihil ex his brevissimis cantiunculis remaneret nisi metri imitatio, et imagines omninò vulgares in locum prioris sensûs irrumperent.

Nonnulli favori inservientes quo vulgus Anacreonticum genus prosequebatur quasi ex industriâ omnem poeticum spiritum in illo imitando exhausisse videntur : horum unus sic incipit :

Τὸν Ἀνακρέοντα μιμοῦ
τὸν ἀοίδιμον μελιστὴν,
φιάλην πρόπινε παισίν
φιάλην λόγων ἐράννην.

Hunc imitandi Anacreontica furorem vel usque sub Byzantinis principibus duràsse ex eo proba-

bile est quòd ea ipsa collectio agglutinata Constantini Cephalæ Anthologiæ non imitatorum fastidia excitavit. Nempe animadvertit Melhornius in præfatione doctâ Nicetam Eugenianum plura odaria pæne verbo tenus amatoriæ suæ narrationi adjecisse[1].

Nec anacreonticis poetis carebant vel parvæ Græci Romani imperii civitates : Bernhardy[2] enim Starkiusque locum quemdam haud immeritò citant annexum margini Anthologiæ Palatinæ juxta *ἔκφρασιν πίνακος κοσμικοῦ*, cujus verba decretoria sunt :

Ἡ πόλις αὐτοῦ φιλόμουσος ἦν καὶ περὶ τοὺς λόγους εἰς ἄκρον ἐληλακυῖα· ἐλλόγιμοι ταυτῆς τῆς πολέως Ἰωάννης Προκόπιος. Τιμοθεὸς ὁ γραψὰς περὶ ζώων Ἰνδικῶν καὶ οἱ τῶν Ανακρεοντικῶν ποίηται διάφοροι.

Urbs igitur qualis Gaza non multo litterarum splendore inclyta plures habebat Anacreonticos poetas. Gasæi cujusdam grammatici Joannis ex-

[1] Melhorn., Proleg., pag. XXVI.
[2] Hist. Græc. po., pag. 503.

stant quinque anacreontica carmina adhuc ignota quæ nominantur in indice qui codici Barberiniano appositus est, curante Angelo Maio ut videre est ex Spicilegio Romano, IV, p. XXXVII.

Imò in Anacreonte.s reperias quæ certis auctoribus assignantur in Planudeâ Anthologiâ et in apographo Spalettii. Exempli gratiâ nominabo Julianum ægyptium ἀπὸ ὑπαρχῶν et Basilium quemdam de quo dubitatur magnus episcopus an imperator ante comes sacrarum largitionum ille sit.

CAPUT SECUNDUM.

IMITATORES CHRISTIANI.

CAPUT SECUNDUM

IMITATORES CHRISTIANI.

Ne quis propter doctissimi critici eam dubitationem invehatur : plurimi christiani poetæ hymnos anecreontico metro, imò anacreonticis verbis composuerunt. Id enim proprium erat christianæ religionis intelligentissimis doctoribus adoptare, quoad fieri poterat, adversariorum consuetudinem si quæ non planè abhorrebat à ritu novo : sic olim Romani devictis à gentibus mutuati erant quæcumque optima haberent, ut firmioribus niteretur dominatio fundamentis. In alterâ dissertatione vidimus quomodo veterem Augustinus rhe-

toricam leviter immutatam acceperit ut jàm cum novo cultu benè ac socialiter congrueret. Eamdem in re poeticâ secuti sunt morem : hymni christiani eadem verba atque anacreonticæ cantilenæ, eosdem numeros diverso cum sensu referebant et paulatìm pro antiquis in vulgi memoriâ infigebantur. Arii præcepta sodaticis versibus (rem non mediocriter admirandam !) conscribebantur. Pauci qui asservantur Synesii, Gregorii Nazianzeni, Maximi Marguini hymni anacreonticum nescio quid præ se ferunt. Hujusce rei veritas nemini dubia videbitur, si modo comparaverit quilibet locutiones Synesii cum anacreonticâ dictione, etsi episcopus se longè suprà cantus Teios Lesbiosque tendere declarat.

Μετὰ Τήϊα ἀοιδαν
Λεσϐίαν τε μολπὰν
γεραρωτέροις ἔφ' ὕμνοις.

Manifestior etiam, si licet, imitatio est in Gregorio Nazianzeno.

In Anacreonticis lego [1] :

[1] Fisher., XLI.

Ἀναμέλψομεν δὲ Βάκχον
Δι' ὃν ἡ μέθη λοχεύθη,
Δι' ὃν ἡ χάρις ἐτέχθη,
Δι' ὃν ἀπάνεται Λύπα
Δι' ὃν εὔναγετ' Ἀύια.

Sic incipit primum Gregorii carmen :

Σέ τον ἄφάιτον μονάρχην
Δὸς ἀνυμνεῖν, δὸς ἀέιδειν
Δι' ὃν ὕμνος, δι' ὃν αἶνος,
Δι' ὃν Ἀγγέλων χορεῖαι,
Δι' ὃν αιῶνες ἄπαυστοι
Δι' ὃν Ἥλιος προλάμπει,
Δι' ὃν ὁ δρόμος Σελήνης,
Δι' ὃν ἄστρων μέγα κάλλος,
Δι' ὃν ἄνθρωπος ὁ σεμνὸς
Ἔλαχεν νοεῖν τὸ θεῖον.

In alio odario pariter amplificat christianus vates profanam cantilenam[1] : nemo non nescit illud haud injucundum carmen quo poeta ex gratissimo somno in quo Bathyllus menti obversabatur expergefactus, garrulæ avi irascitur nec satis quomodo illa dedat insolentiæ pœnas utrùm pedum

[1] Fisher., XII. Vide quoque Levesquium, 482, Notices et extraits des manuscrits de la Bibliothèque nationale, an VII de la République.

mutilatione an linguæ avulsione, scit : non opus est hic græca proferre verba, nisi ipsum initium τί σοι θέλεις ποιήσω ; nunc si quis secundam Gregorii odam attentè legerit, profectò cernet illam nihil aliud nisi eloquentissimam et christianissimam anacreontici odarioli imitationem, quæ fortassè longiuscula quibusdam videri possit : at quivis facilè superiorem inventore imitatorem fatebitur.

Rem eamdem animadvertere est in odis Sophronii nuper ab Angelo Maio editis : anacreontico metro illarum pleræque conscribuntur; locutiones anacreonticorum quoque occurrunt vel aliud agenti lectori. Clarissima exempla proferre licet, protulitque jam Starkius cujus verba expromam : quippe quibus meliora invenire non facilè possim, sensus ex intimis rei criticæ visceribus sumptos latinè enuntiaturus tum propter infantiam meam, tum propter adhibiti sermonis in his rebus explicandis egestatem.

« Canendi, celebrandi notio, ut in Anacreonteis, sic apud Sophronium, plurimis modis effertur ;

ἀείδειν sive ᾄδειν αἶνον, XI, 8.—Ἀσίδος λύτρον, id., 99.—Πτολίην, XVII, 107.—Πόνους, XIX, 107.— —Γεθσημανῆ, XX, 39. —Τοὺς ἀέθλους ὅστις ἀείδει, XII, 17. —Anacreontica ᾖδον ἄθλους Ἡρακλέους, I, 27. —Κυπριν ἀείδω offerunt. —Tum λιγαίνειν in odis II, 4, 39, 42, 105; III, 2; XII, 2; XVII, 4, 24; XXI, 6.—In Anacronteis Μούσας λιγαίνειν, λόγοις λιγαίνω : tum μέλπειν aut nudè positum ὕμνους, od. V, 35; ᾆσμα, VI, 21; χάριν, VI, 38; πάρθενου, XIII, 12; νομῆα, XII, 23. —Aut cum dativo rei quâ celebratur μέλεσιν, IX, 8; πηκτῖδι, XVII, 18; in Anacreonticis, 39, 15, μέλπω βιότου γαλήνην; in 41, 2, ἀναμέλψομεν Βάκχον; 53, 3, ῥόδον μέλπειν. —Apud Sophronium βοᾷν μέλος, V, 4; ὕμνον, XI, 3; XVIII, 9; εὖχος, XII, 9; σθένος, V, 101. In anacreonticis μέλος κροαίνων βοήσω. Non minùs quas ad lyram tractandam dicendi formulas usurpat anacreonticus auctor reddit Episcopus: λύρην δονεῖν, III, 3; XIII, 5; XVII. 2; XXI, 2.— Πηκτίδος ἄρχεσθαι, VI, 17. —Κιθάρην τινάσσειν, IX, 6.—In Anacreonticis cantoribus hæc omnia abundant ut notare supersedeat.

In his quoque vocabulum *χορεύειν* genuinâ notione non raro incidit; hoc utitur quoque Sophronius interna Christianorum gaudia significaturus :

Sic od. X, 68. Ἐσορῶν ἀγλαΐην ἣν λάχε Παῦλος, χορεύσω.
XII, 4. Στίχα μαρτύρων χορεύειν.
XVII, 105. Ἵνα σὺν ξένῳ πολίτης ἐσαεὶ γελῶν χορεύου.
XIX, 30. Μέσον ἐδμόλων ἱεροῦ δόμου χορεύσω.
XX, 22. Τύμβου κίονας—φιλέων ἄγαν χορεύσω.

Illa verba anacreontica *γελᾶν* et *γάνυσθαι* occurrunt pariter :

od. XVII, 105. Γελῶν χορεύου
XVIII, 19. Γελόων βοῶ τὸν ὕμνον.
XX, 44. Γεγανυμένος

non jam Lyæo, sed sacrorum locorum contemplatione.

Dixit anacreonticus auctor 3, 4, in madidi amoris carmine *μερόπων δὲ φῦλα πάντα*; dixit Sophronius :

od. I, 19. Μερόπων ὅλη γενέθλη.
V. 58. Μερόπων πᾶσα γενέθλη.
VII, 99. Βροτῶν φῦλα πάντα.

Quædam verba non tantùm litterariam imita–

tionem produnt, verum etiam eamdem compositionis ætatem. Sic νόμοι Sophronii, od. II, 25, νόμους τεκούσης; in anacreonteis, 49, 8, νόμους φιλούντων.

Γαλήνη cum sensu translatitio usurpatur in Sophronii :

od. II, 99. Γαλήνη γενέτης βροτῶν.
IV, 72. Ἀπόλυσον ἐν γαλήνῃ.
XVIII, 2. Τὴν φίλην γαλήνην δέδωκε κόσμῳ.

Præterea in versu 15, 59, 69, 73 inveniuntur. Anacreonticorum carmen 39, 8, βιότου γαλήνην habet.

Ex his omnibus nonne licet concludere anacreontica carmina ab antiquâ destinatione avocata tunc temporis non festivis compotationibus interfuisse, sed fortassè in monasteriis, in templis, non jam Bacchum et gratias nudas celebrandi causâ, verum ad majorem Dei, Virginis, Angelorumque gloriam, conversa.

Multa igitur mutuati ab anacreonticis poetis, multaque mutaverunt seu adjiciendo, seu de-

mendo, seu intermiscendo, ut profana sacrosancto usui jàm convenientiùs accommodarentur.

Illæ quidem opiniones veritatis demonstratæ vim statim obtinebunt, si modò post hanc Sophronii odarum mentionem, nonnulla disseramus de collectione unde oriundæ illæ in lucem venêre Sophronii carmina.

In quarto Spicilegii Romani tomo Petrus Matranga Græco-Siculus, id quod jàm Leo Allatius [1] nec non Fabricius [2] erant eruditis polliciti, perfecit. Nempe descripsit qualis foret illa nova anacreonticorum poetarum collectio quæ asservabatur Romæ in Barberinianâ Bibliothecâ in codice membraneo duas habente partes : adjecit simul variorum carminum indicem non sine cujusque titulo, nec non quod multo pretiosiùs erat viginti duo Sophronii odaria quæ supra memorata sunt.

Hujus poeticæ collectionis indici inscribitur ille titulus : Sophronii ἀνακρεόντια : tum quemadmodum animadvertit Petrus Matranga duobus

[1] Schol. ad Eust. Antioch., pag. 285

[2] Vol. XII, p. 22, ed. Harl.

illius carminibus præponitur τοῦ αὐτοῦ ἀνακρεόντιον κατὰ στοίχους, quasi non cætera ejusdem et anacreontica et κατὰ στοίχους essent. Illis autem monachi Sophronii carminibus intermixta sunt nonnulla aliorum odaria : nec desunt his novis auctorum nomina, Heliæ Syncelli et Ignatii. Anacreonticum quoque in modum ex his quæ profert codicis descriptor, videntur esse composita carmina. Syncelli tamen designatio est hæc ἀνακρεόντιον κατανυκτικὸν, alteri cantilenæ illa : τοῦ αὐτοῦ θρηνητικὸν.

Sic anacreontica designatio usurpabatur vel in tristissimis poematibus denominandis. Arethæ archiepiscopi quatuor insunt odaria. Leonti magistro attribuuntur ἐπιτύμβιον ἀνακρεόντιον et alia.

Joannis grammatici Gazæi, cujus alio in loco mentio facta est, observatur ἐπιβατήριος λόγος εἰς τὸν Ζαχαρίαν τὸν ἀσκαλωνίτην. Georgii grammatici dein septena odaria rosarum laude referta; ejusdem duo ἐπιθαλάμια, unum εἰς βρουμάλια. Ultimus dein locus grammaticorum Sergii, Philippi, Leontii, Constantini Symposiacis anacreonticis est, eodem

jàm nomine atque in alterâ collectione recurrente.

Hæc est prima Anthologiæ hujus ineditæ pars. Secunda autem quæ inscribitur ἀλφαβητάρια ἕτερα διαφόρων ποιητῶν nihil nisi res sacras continet; seu ex Evangelio desumptæ historiæ tractentur, sive hortationes sint, παραινέσεις, ad Judæos conversos, vel ad jejunia instituenda κατανυκτικά, seu hymni quibus Basilius imperator, vel Christi reditus celebratur.

Novissima quidem illa sunt omninò prioribus similia; nec, ut videtur ex Sophronii odariis, multo abhorret ab anacreonticis carminibus hujus collectionis oratio cujus auctores vixerunt fortassè a septimo usque ad decimum post Christum natum sæculo, si sequi conjecturas nostras licet.

Sophronius enim Hierosolymitani archiepiscopi munus implebat 610-614, dùm primus Heraclius principalem sedem obtineret : nempè in odariis nonnulla jaciuntur quæ pertinent ad expugnationem sacræ urbis à Persis inchoatam, 616.

Michael Syncellus imagines restauratas Theodorâ, Theophili uxore, res imperii tenente, celebrat.

Ignatius diaconus erat et conservator magnæ Constantinopolitanæ ecclesiæ, dein μητροπολίτης Niceæ, quemadmodum scribit Suidas[1] : composuit vitas Tarasii et Nicephori qui patriarchalem Constantinopoli dignitatem obtinuère, ille ex anno 784 ad 806, alter ab anno 806 ad 815 et fecit ἐπιτυμβίους elegos, epistolasque quoque conscripsit contra Thomam Antartenum.

Aretham archiepiscopum, Photio patriarchâ, Leone imperatore, sub finem sæculi decimi vixisse verisimile est.—Leo magister auctor Chronographiæ rerum intra annum 814 et 949 gestarum usque ad finem sæculi decimi floruit.

Joannis grammatici Gazæi, Georgii de ætate non satis inter doctos constat cum Leo Allatius[2] nihil de hoc proferre audeat. Leo poeta et philosophus Academiæ Constantinopolitanæ conditæ à Cæsare Bardâ sub Michaele tertio præfectus erat. Theophanes an fuerit Iconographiæ auctor in incerto est. Etsi seriùs nata videatur hæc sylloge

[1] Ed. Kuster, 94.

[2] Diatr. de Georg. ap. Fabricium, vol. XII, 22, ed. Harl.

quàm Palatini codicis collectio, tamen nos non parum illa docet in re de quâ disquirimus. Non fortuitam enim inter illas similitudinem deprehendere licebit, si rem paulò attentiùs consideremus.

Odaria Joannis Grammatici Gazæi recitata sunt in die rosarum *ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν ῥόδων*, ut verba ipsius tituli usurpem : Georgii eidem diei destinata carmina sic inscripta : *τί εἴποι ὁ Ἀπόλλων τοῦ Ἔρωτος στέφοντος αὐτοῦ τὰ τόξα ἀπὸ δάφνης καὶ ῥόδου· τί εἴποι ἡ Ἀφροδίτη τῆς Ἀθήνας φυτευσάσης ἐλαίαν καὶ ἀνελθόντος Ῥόδου, τί εἴποι ὁ Ἄρης τῆς Ἀφροδίτης τρωθείσης ἀπὸ ἀκάνθης ῥόδου.*

Hæc omnia comprobant hoc in tempore multam fuisse poesim in celebrandâ rosâ, simulque nobis in memoriam revocant has omnes cantiunculas quæ in anacreonticis terque quaterque obviæ legentibus offeruntur. Carmine in quinquagesimo tertio rosa prolixè decantatur : in eam laudes quælibet sine modo, sine ordine quibus extolli poterat flos dilectus illi ætati accumulavit poeta. Primum ut sodalis adjuvet vatem in rosâ celebrandâ invo–

catur, tum rosa ipsa et Deorum flatus et hominum gaudium nuncupatur : nempe Gratiis illa ornamento ipsis est, simul cum Amoribus; eadem Veneri Musisque gratissima, hominumque jucunda voluptas, quandocumque illam quis inter semitæ spineta reperiat. Idem flos in epulas ac festa ad honorandum Bacchum instituta, accitur : illum invocant poetæ in celebrandis Aurorâ, Nymphis Venereque : sed multiplex illius usus : quippè qui non mediocriter adjuvet morbo laborantes, vel moribundos. Sequitur dein bellula fabella de Rosæ ortu quæ in lucem prodiit quum Venus è Ponto, Minerva e fronte Jovis nascebantur. Terra contrà à Diis nectare aspersa Rosam edidit. Totum illud carmen in quo nihil aliud est nisi cento diversis ex odariis conflatus, nonne mirè conveniebat illis poetis qui in die rosarum carmine certabant? Illud aliud argumentum Joannis Grammatici Gazæi τίνας εἴποι λόγους ἡ Ἀφροδίτη ζητοῦσα τὸν Αδωνιν implevit auctor qualiscumque carminis quod ad Theocritum refertur cum hoc titulo εἰς νέκρον Ἄδωνιν; illudque alterum Georgii

τί εἴποι ὁ Ἄρης τῆς Ἀφροδίτης τρωθείσης ἀπὸ ἀκάνθης ῥόδου nonne inspiravit oda in quâ vulneratus Cupido ad matrem recurrit.

Ita imitatorum ipsorum imitatores erant, ut verius foret illud Flacci : ô servum pecus!

Nemo hoc dubitaverit si respiciat illum titulum odarioli à Leontio conscripti *φιλήσας κόρην τῇ ἡμέρᾳ μὲν ποθῶν ἐπόνει, τῇ δὲ νυκτὶ κοιμώμενος ἀπηλλάττετο τοῦ ἐρωτικοῦ πυρός· ὀρθριζούσης οὖν χελιδόνος καὶ ἐν τῷ πτᾶσθαι τῷ ῥοίζῳ ἐγειρούσης αὐτὸν ἐπεδείξατο κατ' αὐτῆς τοιαῦτα φάσκων.* Quis neget hoc imitamentum esse odarii quod jam imitatus est Sophronius, quemadmodum supra monuimus.

Constantini grammatici eroticum carmen cujus *ὑπόθεσις ἐκ μελῳδίας τινὸς ᾀδομένης ἐν γάμῳ* non multum dispar nonnullis anacreonticorum carminum locis. Major autem similitudo inter Barberinianam Anacreonticorum collectionem et Palatinam : succedunt enim Symposiaco carmini *περὶ ὀνείρων* tredecim tituli odariorum quæ non solùm in Palatinâ Anthologiâ reperiuntur. Sed idem ordo est in utrâque sylloge, si levissimam unam mutationem excipias.

Hæc quidem ego non diutiùs explicabo; nec opus longiori est oratione, ut pateat, inter Anthologiæ Barberinianæ auctores anacreonticosque poetas minimam esse diversitatem ingenii atque inter utrosque parvum temporis spatium incidisse: quum verò pro certo haberi possit plerosque eorum recentioribus vixisse sæculis, concludere possumus illam Anacreonticorum imitationem perdiù viguisse et maximo in honore habitam fuisse vel seriorum ætatum scriptoribus.

CAPUT TERTIUM.

DOCTORUM CONTROVERSIÆ

DE ANTIQUITATE CARMINUM ANACREONTICORUM

Ab anno 1554 usque ad finem superioris sæculi.

CAPUT TERTIUM.

DOCTORUM CONTROVERSIÆ

DE ANTIQUITATE CARMINUM ANACREONTICORUM

Ab anno 1554 usque ad finem superioris sæculi.

Nos deduxerunt Anacreontis imitatores ad decimum sæculum : verisimile est illos veteri indulsisse industriæ, dum Græco-Romanum vixit imperium. Illorum tamen vestigia sequi non possumus per quatuor sæculorum spatium, adeò litterariæ res obscurâ nocte latent, dùm Byzantini Cæsares turpiter religiosis disputationibus dediti erant, et cæteræ Europæ partes fœdissimæ sordibus ignorantiæ conflictabantur. Intereà tamen vel apud Græcos gliscebat barbaries, si quidem hæc leguntur in libro priore Petri Alcyonii[1] de Exsilio :

[1] Vid. Fisheri LVI, p. tertia editio., 1793.

« Audiebam puer ex Demetrio Chalcondylo græcarum rerum peritissimo, sacerdotes græcos tantâ floruisse auctoritate apud Cæsares Byzantinos, ut, integrâ eorum gratiâ, complura de veteribus Græcis poemata combusserint, in primisque ea ubi amores, turpes lusus et nequitiæ amantum continebantur, atque ita Menandri, Dephili, Apollodori, Philemonis Alexis fabellas, et Sapphûs, Erinnæ, *Anacreontis*, Mimnermi, Bionis, Alcmanis, Alcæi carmina intercidisse : tum pro his substituta Nazianzeni nostri poemata, quæ, etsi excitant animos nostrorum hominum ad flagrantiorem Dei cultum, non tamen verborum atticorum proprietatem et græcæ linguæ elegantiam edocent. Turpiter quidem sacerdotes isti in veteres Græcos malevoli fuerunt, sed integritatis, probitatis et religionis maximum dedêre testimonium. »

Talia verba in ore gravissimo Johannis Medicœi qui posteà dignitate pontificatûs auctus, Leo Decimus fuit, reponit Alcyonius. Haud equidem in his alia quàm quæ continentur reperire velim : at certè argumento firmissimo comprobatur nume-

rum crescere imitatorum sacrorum debuisse.

Sed longum his imitatoribus vesanis tempus non superabat : jàm Turcæ imminebant, diesque rebus Byzantinis fatalis magis ac magis propinquabat. Vi tandem captum Byzantium occidit.

Sæculo sequenti, anno 1554, Henricus Stephanus, non sine græcâ præfatione, alloquens Musarum studiosos, primùm edebat Anacreontis Teii carmine, versione latinâ adornata, Parisiis, in-4°. Cùm verò vir doctissimus profiteretur se duobus manuscriptis usum esse, quorum unum in chartâ corticeâ, alterum in membranis scriptum fuerat, neque illa qualia essent, nec undè in suam potestatem venissent, declararet, ut fides suæ antiquitatis novis carminibus adhiberetur, plurimi litterarum antiquarum in hâc litteratissimâ ætate patroni editorem interpellavêre, ut tunc moris erat, dubitaveruntque fictitiumne opus ex industriâ Stephanus pro antiquo ederet, an verè antiquum.

In disputatione de arte sive ratione corrigendi

antiquorum libros decretoria hæc verba legas [1] : « Hæc ego de generibus chartarum dicere volui, ut intelligatis omnem illarum usum et antiquitatem. Quarè perridiculus est is, qui nuperrimè editis quibusdam insulsi hominis græci lusibus, Anacreontis odas esse scribit, hoc utens argumento quod in cortice essent descripti, ut hâc ratione scilicet nobis imponeret. » Paulò violentior videatur quibusdam Robortelli dubitatio cujus nec satis causas reddit, ex more sæculi in quo divinabant, ut ita dicam, et subodorabantur antiquitatem critici, nec semper poterant firmissimis tueri argumentis veras, quas sequebantur, opiniones. Nec solus tamen Robortellus hujus erat sententiæ fautor : Fulvius enim Ursinus [2] cùm primùm ederet carmina novem illustrium feminarum et lyricorum, duo tantùm aut tres, præter fragmenta, Anacreontis odas interserebat, easdemque et Gellio aut priscis scriptoribus depromptas, quasi cæte-

[1] Thesis crit. Gruteri. — Vide quoque Gasp. Scioppii, de Anacreont. carm. commentariolum.

[2] Antuerpiæ ex officinâ Christophori Plantini, 1568.

ras omnes Stephanianæ editionis pro dubiis vel novis habuisset.

Nec tamen credibile Stephanum sic ausum esse suis æqualibus illudere ut diceret in manuscriptis antiquis se ea invenisse quæ in recentioribus fuissent. Nemo non nescit illum diù in Germaniâ commoratum esse. Ibi uti potuit Palatino codice. Jàm probabilis videbitur conjectura, si quis credere velit doctissimo viro, Hofmann Peerlkamp [1] qui librum manuscriptum Stephani reperisse sibi videtur, audiamus illum : « Stephanum bonâ fide « egisse mihi apparuit qui manuscriptum viderim « ex quo suam ille editionem confecit. Hoc operâ « nobilissimi Vemperi ex bibliothecâ Leidensi « utendum habui. Constat paginis ferè XXII, « formâ quartâ. In fronte legitur Ἀνακρέοντος Τηΐου « συμποσιακὰ ἡμϊαμβια κτῆμα, Ἐῤῥίκου Στεφάνου. Hùc « illùc notulas suas adspersit easdem ferè quas « posteà cum litteratâ civitate communicavit. Car- « mina græca incipiunt ab Ἀνακρέων ἰδών με. Hinc

[1] Nov. act. societ. Rheno. traject., I, p. 121.

« et ex reliquo eorum ordine, constat Stephanum « Anacreontica descripsisse ex codice Vaticano « æri postea insculpto à Jos. Spalettio. Idem codex « deindè in bibliothecâ Parisinâ translatus nomine « Anacreontis Vaticani celebratus est. »

Res profectò mirabilis quæque egeret fortassè certiori demonstratione. Sed duobus codicibus se usum esse dixerat Stephanus. Nec libenter corticeo manuscripto fidem adhibuêre docti. Haud ita diù post Stephanum Taneguidius Faber, acris in hoc genere et circumspecti judicii vir, plurima odariorum à Stephano editorum Anacreonti abjudicabat, longaque hujus primariæ, dubitationis vestigia remanserunt. Namque in illo Baylii nostri uberrimo atque optimo thesauro hæc quæ sequuntur legenda sese offerunt:

« Il y a des critiques qui ne croient pas que « tous les vers qui courent aujourd'hui sous le « nom d'Anacréon soient de lui[1]. »

Deinde paulò longiùs in unâ ex his luculentissi-

[1] Bayle, vol. I, édit. de Rotterdam, 1702, art. Anacréon.

mis notulis quibus apparatum suum eminens criticus omnibus intelligentibus commendabilem fecit, ista animadvertas verba quæ depromit Baylius ex epistolâ à doctissimo viro De la Monnaie prescriptâ. En ipsa scribentis verba :

« On n'a pas eu de soin jusqu'ici de recueillir et d'examiner plusieurs particularités curieuses touchant les poésies qui nous restent d'Anacréon.

« On a bien dit que Henri Étienne les a déterrées le premier, mais peu de personnes savent où et comment. Ce fut sur la couverture d'un livre ancien qu'il trouva l'ode Λέγουσιν αἱ γυναῖκες, au rapport de Victorius [1], qui l'a insérée au deuxième livre de ses diverses leçons.

« Jusque-là on n'avait rien vu d'Anacréon que ce

[1] Hæc scribebat ad Victorium Stephanus : Proferam, ut spero, propediem Anacreontem, et jàm protulissem nisi me vana spes tenuisset fore ut ad duo ejus exemplaria, quæ diversis in locis, non sine immenso labore invenire mihi contigit, tertium accederet : nam ex duobus his alterum in membranâ, alterum in cortice arboris, scriptum erat : illud confusum et alicubi non satis emendatum : hoc adeò antiquum, ut in singulis verbis littera aliqua oculos fugeret; ut taceam adeo diversam fuisse elementorum formam à nostris, ut priùs an legi possit cogitandum fuerit, quàm an posset intelligi.

qu'Aulu-Gelle et l'Anthologie en avaient conservé. Le hasard fit tomber entre les mains du même Henri Étienne deux manuscrits de ce poëte : il eut l'obligation du premier à Jean Clément, Anglais, domestique de Thomas Morus, et apporta le second d'Italie en France, après un long voyage. Ayant conféré soigneusement l'un avec l'autre, il en forma l'édition qu'il publia pour la première fois à Paris l'an 1554.

« Il serait à souhaiter que ces deux manuscrits, qui sont le seuls qu'on eût vus, eussent été conservés. Henri Étienne, par malheur, étant tombé dans une espèce d'aliénation mentale sur la fin de ses jours, les laissa périr avec beaucoup d'autres qu'il ne communiquait à personne, pas même à son gendre Casaubon. »

Ille quidem soceri Bibliothecam Christinæ reginæ vendidit, quam quidem moriens illa summo Pontifici legavit, ut si manuscriptum aliquod Anacreontis exstitisset, in Vaticanâ Bibliothecâ depositum ac conservatum fuisset. Omnia igitur nostram conjecturam fulciunt. Heidelbergæ Palatinum

codicem vidit transcripsitque, nec dubitavit piè mendax doctissimus vir affirmare se usum duobus codicibus ut major auctoritas esset odariis. Cæterum constat eum nonnunquam gloriatum esse se in codicibus recensendis atque emendandis adjutum esse copiis eorum manuscriptorum quos nunquam ipse vidisset.

Nunc verò videamus quæ fata exceperint Palatinam Anacreonticorum collectionem. Hic me non mediocriter adjuvabit index litterarius doctissimi Levesquii jàm non semel memorati suprà. Codex enim Vaticanus post Italicos nostrorum exercituum triumphos in nostram venit potestatem, illumque descripsit græcarum litterarum studiosissimus interpres.

Heidelbergam captam anno 1722 nemo non nescit, cùm famosissimus imperator Tillius pro duce Boiariæ Maximiliano arma gereret. Anno sequenti dono data est maxima Bibliothecæ Palatinæ[1] pars à Maximiliano summo pontifici Grego-

[1] Fred. Sylburgii catalogus codicum græcorum mss. olim in Bibliothecâ Palatinâ nunc Vaticanâ asservatorum. Vide præfationem

rio XV, necnon Romam advecta est curante Leone Allatio ne quid in tali viæ longinquitate disperderetur : nunc ipsa describentis verba profero :

« Ce manuscrit contient seize feuillets petit in-folio, en deux colonnes, sur vélin. L'écriture est du dixième siècle. Ces seize feuillets sont reliés avec la dernière partie de l'Anthologie de Cephalas, et paraissent être de la même main que quelques pages également jointes à cette Anthologie. Ce volume est coté 23 des manuscrits de la bibliothèque Palatine du Vatican...

« Je ne crois pas que ce manuscrit ait été consulté depuis Josué Barnès, jusqu'à ce qu'en 1781 l'abbé Spaletti en ait fait graver à Rome une copie exacte.

Errat doctissimus vir, namque hæc leguntur in Dorvillii Vanno criticâ : Obtuleram Pauuo collationem Anacreontis a me ad antiquissimam et ferè unicam membranam Vaticanam institutam.

J'avais collationné en 1782 l'Anacréon d'Henri

Brunckii analectis veterum poetarum græcorum. Bibl. hist. litt. select. Struvii. Iena, 1754.

Étienne avec la copie gravée du Vatican. Je ne me repens pas de l'avoir collationné de nouveau avec l'original. La copie m'avait induit plus d'une fois en erreur. »

Primum quidem Stephanianæ editionis odarium Θέλω λέγειν Ἀτρείδας vicesimum et tertium locum in hâc sylloge obtinebat. Loquor enim de re jàm nullâ. Quippe Anacreontica Vaticani codicis collectio hodiè non invenitur in manuscripto Heidelbergam relato, cui pars extrema inde à paginâ DCXIV deest. Spalettii igitur et Levesquii editiones nobis pro codice habebuntur.

In illo autem de quo loquimur non solus Anacreon continebatur : in indice enim Anthologiæ qui, si credimus doctissimis testibus perhibetur esse primo folio agglutinatus, post variorum epigrammata, post Joannis grammatici Gazæi ἔκφρασιν τοῦ κοσμικοῦ πίνακος, post Theocriti Syringa, post Simmiæ πτέρυγας, post Dosiadæ βωμόν, post Bizantini ὠόν et πέλεκυν, ista se nobis legenda offerunt : ἴδε Ἀνακρέοντος Τηΐου συμποσιακὰ ἡμιαμβια καὶ Ἀνακρεόντια · καὶ τρίμετρα · τοῦ ἁγίου Γρηγορίου

τοῦ θεολόγου ἐκ τῶν ἐπῶν ἐκλογαὶ διάφοροι. Nec desunt quædam Arethæ, Anastasii, Ignatii, Constantini, Theophanisque epigrammata.

Talis quidem tituli tenor nonne abundè comprobat ipsum collectionis auctorem de maximâ illarum cantiuncularum origine dubitasse, nec ausum esse illa omnia Anacreonti referre.

Si non omnia illi attribuuntur, non est quod vel pauca. Sub oculis erant fortassè odariola quæ solita in comessationibus decantari Anacreontis nomine circumferebantur. Ne collectionem quidem totam habemus; desunt trimetra : nec nobis multum desideranda videntur. Nam sæpiùs abest judicii subtilitas, intelligensque rei litterariæ judicium, cùm auctor coronam illam elegantissimam Meleagri necnon simul Philippensem et collectitium Agathiæ Myriennensis opus quod Κύκλος inscribebatur sine ordine, sine delectu vel reddit, vel quod fœdius est, miserè curtat, quemadmodùm in longiusculâ præfatione profitetur.

Sed ad nostra redeamus odariola Ἀνακρέοντια. Ista distinctio quâ utitur collector designaturus ea

quæ Anacreontis putat esse carmina et alia anacreontica, per se gravissima est. Sed aliud majus objicitur quod multùm valere debet in nostrâ quæstione dijudicandâ. Post illam malè certam tituli admonitionem, poetarum statim aliorum nomina inscribuntur primis vel carminibus. Quæquidem res fit quoque in illo Barberiniano codice de quo jàm prolixiùs disseruimus. Quanquam enim totius codicis sit ille titulus πῖναξ· τοῦ ἁγίου Σωφρονίου ἀρχιεπισκοπου Σολύμων Ἀνακρέοντια, tamen multorum carminum initio formula illa τοῦ αὐτοῦ præponitur, nec non plurimorum aliorum anacreontica auctorum carmina interseruntur : adeò in his collectionibus omnia fortituitò permixta fuêre præsertimque in Cephalanâ compilatione.

Quæ cùm ita sint, nemini jàm improbabitur sagacissima Fulvii Ursini dubitatio vel Robortelli : sed in eruditis paucissimisque hæc opinio insidebat. Anacreontica carmina plurimos ubique lectores nanciscebantur. Itaque post Henricum Stephanum multi exorti sunt illorum vel editores vel interpretes, vel commentatores. Stephanus ille

tam benè meritus de græcis litteris Anacreontem suum versione latinâ triginta odarum adornaverat.

Plerique illius et textum et sensus receperunt : illorum longior quidem enumeratio. Satis sit inter eos nominare Robertum Stephanum Henrici fratrem. Augebat illius editionem tum Sapphûs tertium odarium, tum versio latina omnium carminum cujus auctor erat Helias Andreas. Vel Henrici vel Roberti lectiones ubique recipiebantur cùm Taneguidus Faber versionem latinam Stephani et Andreæ textis græcis locupletavit necnon animadversionibus copiosam eruditionem declarantibus. Primus enim inter tot editores atque interpretes ausus est argumentis verè criticis plurimorum odariorum antiquitatem oppugnare : sed ultra progressa est illius felix temeritas. Quippè qui multos Anacreontis locos vel emendatione sagaci vel egregiis explicationibus prosecutus est. Exstant hujus doctissimi laboris duo monumenta[1] : primum, curante Fabro ipso, Salmurii prodiit : alterum, exstincto Fabro, viginti annis post : illius

[1] Vide Fisher, passim, præf. primæ editionis.

notas sermonem in gallicum versas Dacieria Amstelodamiensi editione rursùm in lucem emisit. Ter prodiit illa editio, annis 1693, 1699, 1716 : postremæ adjectæ sunt notæ Fabri latinæ et versio Fossæi nostratis gallica.

Paulo post Metairii Londini Anacreon prostabat anno 1725 : qui quidem, si fides adhibenda est observationibus miscellaneis Dorvillii, majoris erat voluminis et pretii quàm utilitatis vel eruditionis, continebat rem, me judice, ipso textu pretiosiorem, nempè scholia Buthillieri Rancæi græca. Eodem ferè tempore, 1732, Trajecti ad Rhenum J. Cornelius Pauus luculentissimam necnon simul audacissimam proferebat editionem Anacreonticorum. En exempli causâ præfationis exordium : « Si quæras quæ mea sit de auctore horum Ana-« creonticorum sententia, ea non ab uno sed à « pluribus conscripta esse aio : tanta enim est in « illis diversitas, sive verba, sive sententiam spec-« tes, ut ab uno conscribi non potuerint. Atque « hinc non una etiam eorum conditio : multa enim « in illis bona, multa mala. . nam ubi argumen-

« tum si non unicum saltem præcipuum quod « odaria illa Anacreonti vindicare posset nititur « auctoritate librorum manuscriptorum quos Ste- « phanus trivit, et in illis libris tot prava Ana- « creonti adscribuntur falsò, eorum fides etiam « satis exigua est profectò in illis quæ bona « sunt... »

Difficile fuisset verbis acutioribus quæstionem secare; sed opinionis suæ causas non satis reddebat : omnis igitur eruditorum chorus succlamavit. Ille cui editio nova dedicabatur Clericus satisfacere Pauui dubitationibus conatus est, tum alii complures. In vanno criticâ contrà inanes Cornelii Pavonis paleas (hic erat libelli titulus), Dorvillius 1737 acerba injustaque multa congessit quibus nova irrideretur opinio. Nonnulli tamen critici assentiebant audaci Pauuo. Nempe Hemsterhuysius in Aristophaneâ Pluto, Bentleius in epistolâ ad Gaconium quemdam pessimum Anacreonticorum interpretem, novam comprobabant opinionem, etsi illam unguibus et rostris impugnarent Baxterus Barnesiusque.

Vulgus tamen legentium has inter eruditionis principes rixas agitari nesciebat, vel minùs attendebat. Ubique novi exoriebantur interpretes vel græcos inter ipsos. Satis sit tamen inter nostrates nominare Dacieriam, Macropetræum, Fossæum, Regnierium, Gaconium Poinsinetumque De Sivry: qui quidem omnes Stephanianum textum secuti sunt. Baxterus solus erat à priscâ discedere viâ ausus, ut alia atque Barnesius afferret. Nec ei sua audacia benè cessit. His autem editoribus nullam in textu mutando regulam habentibus successit Jos. Fred. Fisherus. Sed antequàm tertia illius editio vulgaretur, cùm Spalettius Romanus curaverat laminis æneis exprimi anno 1781 Vaticanum codicem, jàm certioribus niti poterant criticorum argumenta fundamentis.

Fisherus tamen priorum editorum vestigiis institerat, nec ausus erat seu propter modestiam, seu propter inscitiam, in partes Corn. Panni transgredi, cùm primùm Anacreontica edidit 1754. Insurgit verò in secundâ editione, nec affirmare dubitat vix unum alterumve illorum carminum

quinque et quinquaginta quæ ab Henrico Stephano juvene primùm evulgata fuerant, Anacreontem auctorem habere; ex quibus erat, illo judice, hoc odarium quod Gellius nobis conservavit, illudque alterum cujus duo versiculos profert Hephæstio grammaticus. Fisheri argumentatio simplicissima est et brevissima.

Concludit enim carmina novitia esse tum quia in his frustrà requiritur ille ionismus qui peculiaris erat Teio vati, quemadmodùm Suidas testatur : tum carent iis virtutibus quas omnis antiquitas Anacreonti tribuebat. Is est enim orationis tenor ut verba undiquè conquisita ex Homeri imprimis carminibus miremur : nonnulla etiam novata sunt ut versus complerent. Quæ quidem vitia necquidquam librariorum negligentiæ assignantur. Alia tamen Anacreontea pessundant : nusquam mentio in illis est nec Polycratis tyranni, nec Cleobuli oculorum, nec Smerdiæ capillorum in quibus celebrandis tota versabatur Anacreontis poesis, quemadmodùm docet Maximus Tyrius.

Illud tandem non minimam vim habet quod in

glossariis grammaticorum posterioris ætatis translatæ sunt, atque ex his Hesychii aliorumque in lexicis glossæ deprompta veri Anacreontis carminibus quibus Alexandrini critici limam suam admoverant : maxima verò odariorum quæ habemus pars, neque verbis neque sententiis continetur ejusmodi quarum interpretationem homines græcè docti expectare à tantis grammaticis debuerint.

Accipit igitur pro genuinis illud odariolum Gellii, illudque trigesimum carmen cujus duo versiculi apud Hephæstionem et scoliastam Aristophanis[1], paucissimaque alia eodem profecta ingenio profitetur.

Equidem huic ego ne in his quidem assentior talia concludenti : nec Gellius mihi dignus tantâ fiduciâ videtur.

Veteres critici toti erant in dijudicandâ auctorum eloquentiâ et elocutione : verùm minimam vel potiùs nullam impendebant curam si quæ ad vitam illorum vel ad tempus in quo floruerunt,

[1] Pluti, 302, édit. Didot, 342.

pertinerent; utque mea sententia meliùs proferatur ac dilucidetur in æstheticâ multi erant, in criticâ historiâ nulli : ità inter eos nemo nec poeta nec grammaticus suspicatus est posse Batrachomyomachiam alii cuilibet potiùs quàm Homero assignari.

Quid igitur mirabile quod grammaticus confusioris eruditionis qualis Aulus Gellius[1] tribuendum censuerit Anacreonti carmen quod fecit fortasse unus ex his Alexandrinis quibus pro ingenio erat lusus poeticos suos antiquitati inserere? Quis meam opinionem super auctoritate quâ dignus est Gellius severiorem judicabit, si modò recordabitur in illo ipso loco de quo disputamus ineptissimum contineri errorem? Quippe Julianus rhetor Romanorum poeticam laudem tueri conatus coram selectissimis viris ista loquitur : « Sed ne nos, id est, nomen « latinum tanquam profectò vastos et insubidos « ἀναφροδισίας condemnetis, permittite mihi, quæ- « so, operire pallio caput, quod in quâdam parùm

[1] Aulus-Gellius XIX, 9.

« pudicâ oratione Socratem fecisse aiunt : et audite « ac discite nostros quoque antiquiores ante eos « quos nominastis poetas amasios ac venerios « fuisse. Tum resupinus, capite velato, voce ad- « modum quam suavi cecinit Valerii Æditui veteris « poetæ, item Porcii Licinii et Quinti Catulli qui- « bus mundius, venustius, limatius, pressius græ- « cum latinumve nihil quidquam reperiri puto. »

Incredibilis quidem jactantia plus quàm Hispanica talis opinionis : quarè nec provocandum est ad leges pulchri tam turpiter ignoratas. Magis autem attendendum censeo huic incuriæ quâ fit ut audeat antiquiores Anacreonte ac Sappho eos dicere qui pluribus sæculis post illos vixêre : nec ullus audientium rem miratur aut impugnare adoritur.

Haud major forsan erit fides tribuenda Aristophaneo scholiastæ aut Hephæstioni. Primum omnium non loquitur Hephæstio ità ac si putasset hæc verè Anacreontis esse : dicit enim ὡς τὸ καλούμενον Ἀνακρέοντιον, οἷον ὁ μὲν θέλων μάχεσθαι μαχέσθω... [1].

[1] Bergk., 228. Anac. carm. rel.

Hæc Bergkius rectè animadvertit. Paulò forsan à vero aberrat, cùm adjicit nullum veterum lyricorum continuatis dimetris catalecticis usum esse, sed primos Alexandrinos hoc systema continuavisse, et in his Herodem Iambographum, ob eamque causam rejicit duo versiculos Hephæstionis.

Hoc argumento non refelluntur qui se Aristophanis scholiastâ tuentur. Ego hos duo versus esse verè Anacreonticos admitto : sed hæc rogo : nonne potuit imitator unus hæc furari atque suæ cantilenæ adserere, ut verè illi Anacreontis sint versus, non autem ejus cantilena sit cui hodiè annectuntur. Quod quidem manifestum erit, si quis sensûs interruptionem mecum animadvertere velit, quæ quidem indigna optimo poetâ videtur. An igitur pugnare volebat ille qui vinum reposcebat, et se saltationi parem esse autumabat. Hi versus omninò discrepant à reliquo carminis sensu.

Sed ne moremur in quæstiunculis forsan tenuioribus, etsi multùm ad rem nostram conferant, redeamus ad incœptam orationem.

Ut semel Fisherus in præfatione novum criticis

iter indicavit, plurimi statim vel editores, vel commentatores illum secuti sunt. Illorum ego non longissimam seriem recensebo. Eruditissimos satis sit nominare Bothium, 1805, Lipsiæ, Ant. Mæbium, 1810, Halæ, et illum qui omnium operibus usus est, adjecitque luculentissimas observationes, necnon doctissimos excursus, Melhornium. Eadem ferè omnes concludebant atque Fisherus. Solus Th. Bergkius qui Lipsiæ, 1834, edidit Anacreontis carminum reliquias, nihil omninò in Anacreonticis antiquum esse dixit, cùm nihil aliud quàm fragmenta variis in scriptoribus sparsa, recollegit, nullumque odariorum quæ exstant, recepit. Veterem Anacreontem mirè quidem in præfatione longiusculâ repræsentavit, quid verò de novis carminibus censeret addere non dignatus est, quasi nullum eorum pro genuinis admitteret.

Illum verò jam præcesserant sapientissimi critici. Fred. Dav. Grœterus anno 1790 Lipsiæ libellum sic inscriptum protulit : Anacreontis cantilinæ translatæ atque explicatæ, seriùs hanc extensurus sententiam quæ tantùm indicabatur

in libello primo quem ederet juvenis auctor. Anno sequenti Henrici prolusio litteraria prodiit, Vitebergiæ, de Charientismo Anacreontis ad Demetrii Phalerei disciplinam expenso : hanc equidem reperire non potui adhùc, sed nisi fallit me tituli designatio, non parùm ad nostram quæstionem faciebat, si auctor benè demonstravit ex illis Alexandrini critici regulis fideliter observatis novitia esse carmina quæ ἀττικίσμους affectant : quod quidem fieri non poterat nisi per imitatores vel in eâ ætate ubi jam atticus sermo se contra gliscentem scriptorum Asiaticorum tumorem defendebat.

Prolusio dein altera Græteri æsthetico critica in editionem Anacreontis lyrici redivivi continebat non sine explicationibus quæcumque auctor eâ de re posteò scripsit. Ferè de metricâ solâ agebatur; triplicemque in conclusione esse volebat carminum distributionem : in primâ erant quæcumque nobis servavit fragmenta antiquitas : secundo loco illa constituere debebat orator quæ non vindicata quidem testimoniis veterum, sed vindicanda ingenio suo Anacreonti essent : tertio denique loco

succedebant imitatores ejus veteres græci, qui, ut ingenio non sunt ità jejuni, non tamen ipsum arguant vatem Teium priorem; cæteri verò vecordes menteque lapsi ejus imitatores, posteriorem, eumdemque, ut fas est, occupabant locum.

Hæc quidem parùm absimilia sunt his quæ jàm dixerat Fisherus in secundâ magnæ editionis præfatione. Nec dubitat criticus novus ea quæ bona sunt odaria Anacreonti assignare : in quo mihi falli videtur. Nam præter Anacreontem extitisse potuerunt plures qui, faventibus Musis et earum præside nati odaria anacreontica pepigerint belle? res quidem ea nemini in dubitationem vel minimam venire potest. Quare ex eo quòd odaria non quodam poetico spiritu careant, concludet nemo verè illa Anacreonti prisco attribuenda esse : potuerunt enim illa edere alii qui Anacreonti vel pares erant, vel non ità impares.

Mœbius opus à Grætero indicatum perficere conatus est, nec mediocriter adjutus optimis Hermanni de re metricâ dissertationibus : eamdem atque Græterus sequitur opinionem in program-

mati cui titulus est Tentamen criticum novæ editionis Anacreonticorum, et illius editio post tres annos publicata nihil aliud nisi Hermanni leges anacreonticis cantiunculis strictè applicatas nobis afferunt, cum variorum notulis et animadversionibus.

Hoc opus consecutæ sunt nonnullæ disputationes quarum ultima necnon quoque luculentissima esse videtur illa quam Wolperus de antiquitate Anacreontis in lucem edebat eodem anno quo Melhornius anacreontica carmina Glogaviæ emittebat : viginti ac duo odaria Anacreonti antiquo attribuenda esse concludit, confessus in his quoque inesse posse quæ imitatori lepidissimo, ut ait criticus, originem debent : ea omnia enim Teio poetâ dignissima et metro perfectissima judicat, ad cætera vero repudianda his inductus rationibus : illo judice poetam unam eamdemque materiam ad verbum pæne usque variare dedecet, quod quidem fit in odariis 5, 6, 16, 18, 26, 27, 29, 31, 39, 49.

2° In nonnullis odis verba suspicionem excitant

in Anacreontem, nec carent hâc mendâ carmina 15, 28, 36, 51, 55.

3° Multas odas metri pravitas pessundat, intra quas notandæ sunt 5, 6, 22, 25, 26, 27, 29, 34, 36, 39, 53, quarum in nonnullis etiam trochaica anacrusis contra usum Anacreonti solemnem pluries legitur.

4° Nonnulla odaria argumenti pessima tractatio manifestò Teio poetæ aufert sic 20, 23, 32, 35, 37, 41, 42, 46, 47, 48, 50, 52, 54.

Has Anacreonticæ quætionis vices excepit Wiedemannus in quæstionibus de antiquitate carminum Anacreonticorum 1843 St-Petersburgi quæ quidem primæ programmatis parti scholæ Sanctæ Annæ adjunguntur. Ille autem necnon Starkius etsi omnium laboribus usi sint, eadem atque priores concludunt, eademque referunt argumenta, quanquam ex his nova facillimè possint colligi.

Quæ quanquam mihi gravissima videantur, etsi non multùm valeant sine textûs Anacreontici historiâ, jam in breviùs coacta ego qualia sint enarrare volo antequam ipse conclusiones meas afferam et lon-

giusculæ dissertationi summam manum imponam.

Criticos internam Anacreontis carminum Anacreontorumque conditionem respicientes non poterat non offendere primùm hinc multitudo operum quæ prisco poetæ attribuebantur, indè paucitas cantilenarum quæ circumferuntur.

CAPUT QUARTUM.

ÆSTHETICORUM QUÆ VULGO CIRCUMFERUNTUR ET GRAMMATICORUM ARGUMENTORUM ENARRATIO IN BREVE COACTA.

CAPUT QUARTUM.

ÆSTHETICORUM QUÆ VULGO CIRCUMFERUNTUR ET GRAMMATICORUM ARGUMENTORUM ENARRATIO IN BREVE COACTA.

Permulta exstitêre Anacreontis carmina : non tantùm amatoria ille condiderat et convivalia, quemadmodùm produnt Cicero, Pausanias, Athenæus, Dio Chrysostomus et Clemens Alexandrinus[1], qui illum generis erotici inventorem esse affirmat, sed et satyris indulsit et elegis : ἔγραψεν ἐλεγεῖα καὶ ἰάμβους, ait Suidas. Quod quidem nec mirum est. Ionica enim lyrica poesis multò levior erat quam reliquæ : neque tamen concitata Æolum poesis, aut severa Doriensium, prorsùs abhorruit

[1] Cicero, Tuscul., IV, 3.—Pausanias, I, 25.—Athenæus, XIII. —Dio Chrysost., Or. II.—Clemens Alex. Stromat., I.

ab hoc genere irridendi et exagitandi. Anacreon igitur non pepercit inimicis, sed graviter eos vexavit : in fragmentis nonnulla supersunt vividissimam iracundiam testantia seu in Artemonem invehatur æmulum quem ab Euripile quam ipse summo studio concupiverat, redamari videbat f. XIX, seu Alexidis calvitiem irrideat (LXVIII), aut virum quemdam uxorium. Ne abstinuit quidem illius rabies à Smerdiâ amatissimo puero, cùm Polycrates tyrannus illius cæsariem resecari jussit.

Possem, si liberet, conjicere illum laudatorias multas composuisse odas, quandoquidem ista Strabo scribit : τῷ Πολυκράτει συνεβίωσεν Ἀνακρέων ὁ μελοποιὸς · καὶ δὴ καὶ πᾶσα ἡ ποίησις πλήρης ἐστὶ τῆς περὶ αὐτοῦ μνήμης. Nonne illud testimonium per se satis probat? Sed nunc ad illa redeamus carmina de quorum naturâ nonnulla nobis cognoscenda pervenerunt sive fragmenta, sive indicia ex genuinis fontibus deprompta.

Quatuor lyricorum genera carminum commemorantur quibus indulserit Anacreontis camæna, apparentque rara ex his omnibus fragmenta :

ὕμνοι, μέλη (inter quæ sunt annumeranda σκόλια), ἴαμβοι, ἐλεγεῖα : nec affirmare ausim omnes Anacreontis operas designatas fuisse his Suidæ collatis verbis.

Hymnorum supersunt fragmenta nonnulla; quorum unus est in quo Diana invocatur ut præsto sit Magnesiorum urbi : alter ad Dyonisium spectat qui conjunctus cum Amore, Nymphis et Venere accitur opem laturus dilecto Cleobulo.

In Anacreonteis nullum videre est hymni vestigium nisi quod in pessimâ cantiunculâ[1] vel sexto vel septimo sæculo compositâ se Cyprin, Desiderium Hymeneumque cantaturum esse declarat auctor.

Operæ pretium erit referre ista μέλη in quibus tantopere excellebat Anacreon, quemadmodùm et ex antiquitatis testimonio et ex fragmentis cognoscimus : in his quidem maxima pars versabatur Anacreontis operum : ubique appellatur ὁ μελοποίος, ὁ τῶν μελῶν ποιητής[2].

[1] Fisher, 62. Θεαινῶν ἄνασσαν Κύπρι.

[2] Confer Luciani Longævos, 9, 13. Suidas, v. Τέως.

Sed duo exstitêre melicorum carminium genera : alterum χορικὴ ποιήσις à choris ad id ipsum institutis canebatur; illius stroph sum mà arte elaborabantur, nec his saltatio deerat. Credibile est, ex Horatii verbis[1], Anacreontem his parum usum esse

Qui persæpè cavâ testudine flevit amorem
Non elaboratum ad pedem.

Alterum contrà vel singuli vel plures canebant : simplicissimum hujus metrum, nec varium : strophæ breves nec multùm artis præ se ferentes; his præsertim conveniebat μέλους nomen, semper eadem carminibus materia seu amoris gaudia, seu cruciatus celebrantibus. In his totus erat Anacreon : quippe quæ mollissimæ congruerent Ionum indoli : tum ille naturâ ad hæc mirum in modum instituebatur vir mulierosissimus, et quibuslibet omnis generis voluptatibus effeminatus propter regum amicitiam, seu cum Polycrate, seu cum Hipparcho ageret. Indè tot antiquitatis testimonia, quorum gravissimam profectò illud

[1] Horat. epod. XIV.

Tullii : Anacreontis quidem tota poesis est amatoria.

Plurima quidem fragmenta Tullium verè locutum esse confirmant : in anacreonteis verò pauciora sunt quàm in solis fragmentis erotica carmina, et tunc amoris imago dissimillima est.

Multa tamen in laudes vini et rerum quibus exhilaratur vita sese Teii senis effundebant odaria. Meminit enim Suidas paræniorum. Athenæi clarissima sunt verba [1] : ὁ Ἀνακρέων ὁ πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ποίησιν ἐξερτήσας μέθης ; hinc facilè concludemus illum permulta composuisse convivalia carmina scoliaque, quæ quidem simplicissima erant, atque antiquitatem suam redolebant si credere dignum est Aristophani in Convivantibus scribenti.

Αἶσον δή μοι σκόλιόν τι λαβὼν Ἀλκαίου κἀνακρέοντος.

Animadvertamus in scolii denominatione certam latere significationem antiquam, circa quam multùm sese profuderunt doctorum virorum elucubrationes, imprimisque Ilgenius in disquisitionibus de scolicâ poesi.

[1] Athen. X, 7.

Pauciora quidem Anacreontis fuêre scolia et parænia et symposiaca quàm amatoria carmina : illorum tamen numerum satis magnum fuisse constat ex his omnibus quos protulimus auctorum locis. Verùm non Veneri tantum et Baccho indulgebat : aliquandò majora quoque tentavit, nec deerant isti quos nominavimus iambi qui Ionicam stirpem et proprium Anacreontis indolem declararent : feliciter tamen hunc ardorem Ionicorum animorum temperavit Anacreon ac compescuit : quippè de quo hæc scripserit Julianus imperator, in illo qui inscribitur Misopogon, libello[1] :

Ἀνακρέοντι τῷ ποιητῇ πολλὰ ἐποιήθη μέλη σεμνὰ καὶ χαρίεντα· τρυφᾶν γὰρ ἔλαχεν ἐκ Μοιρῶν· Ἀλκαίῳ δ' οὐκέτι, οὐδ' Ἀρχιλόχῳ τῷ Παρίῳ τὴν Μοῦσαν ἔδωκεν ὁ θεὸς εἰς εὐφροσύνας καὶ ἡδονὰς τρέψαι. Μοχθεῖν γὰρ ἄλλοτε ἄλλως ἀναγκαζόμενοι τῇ μουσικῇ πρὸς τοῦτο ἐχρῶντο, κουφότερα ποιοῦντες αὑτοῖς ὅσα ὁ δαίμων ἐδίδου τῇ εἰς τοὺς ἀδικοῦντας λοιδορίᾳ.

Nemo mirabitur Anacreontem qui familiariter utebatur tyrannis hanc civilium carminum licen-

[1] Jul. in Misop., pag. 337, ed. Spanheim.

tiam præ se ferre noluisse quæ tantopere Atheniensibus liberis placebat et Ionicis civitatibus. Nec tamen semper, ut suprà vidimus, etsì prudentiâ uteretur, audacia Musæ coercita est.

Iambi præsertim infideles in amicas invehebantur; nec prorsùs tamen incuriosus fuit patriæ miseriarum, quemadmodùm constat ex fragmentis. In anacreonticis nullum iambi vestigium. Elegos quoque Anacreonti tum Suidas suprà memoratus, tum Hephæstio tribuunt; et his omnibus epigrammata quoque sunt annumeranda. Ex his diversi generis carminibus constabant quinque libri, ut docet Crinagoræ epigramma :

Βύϐλων ἡ γλυκερὴ λυρικῶν ἐν τεύχεϊ τῷ δε
  πέντας ἀμιμήτων ἔργα φέρει χαρίτων,
Ἃς πρέσϐυς ἡδὺς Ἀνακρέων ὁ Τήϊος
  ἔγραψεν ἢ παρ' οἶνον ἢ σὺν Ἱμέροις.

Ultima quidem verba mihi videntur designare parænia et erotica carmina nec ullo modo ad iam-

[1] Anthol. Jacobs, tom. II, p. 131.

bos et epigrammata referri posse, quemadmodùm optimè demonstravit Velkerus; ut, illa quinque librorum collectio non omnia Anacreontis opera contineat.

Critici autem rogant iterùmque rogant nùm illa paucula nostra et brevissima odariola unquam in quinque libros dividi possint aut potuerint? Ubi nunc illi elegi quos Suidas commemoravit? ubi illi iambi? ubi illi hymni.

Hæc etsì per se gravissima non sola proferunt eruditi contra anacreonticorum antiquitatem. Multi quoque sunt in litterariâ illorum dijudicatione. Doctissimus Tranerus græcorum poetarum in Anacreontem laudes recollegit[1]: plures quidem illæ quàm ut hìc proferri possint si tamen optimis inter veteres criticis credamus, Anacreon non ad cutem, ut aiunt, sed toto pectore, totâ mente perditus amabat; nescio quid vivum spirabat in carmine; veros amores canebat; vivas voces suppeditabat Cupido et illud quod ex pectore emanat ac

[1] J. Traner, græc. poet. in Anacreont. Tei elogia Upsaliæ, 1821.

disertos homines facit, ut Horatius meritò dicere possit[1] :

> Nec si quid olim lusit Anacreon
> Delevit ætas;

Quæ quidem supersunt fragmenta nobis comprobant nihil Sapphicis caloribus cedere Anacreontis Musam, seu Cleobulum amoris sui admoneat, sive se amare et non amare, se furere et non furere clamitet, seu puerum puellare tuentem requirat.

Nusquàm contra in sexagenis illis odariolis nobis succurret hæc vivido amori oratio accommodata.

Nescio quid ingeniosum sæpè inest ac frigidulum pæneque mortuum : credas nonnunquam illas bellulas cantiunculas audire amatorias quales edebat unus ex nostratibus Doratus sub finem octavi et decimi sæculi : in anacreonticis omnia vaga; nec Smerdias, nec Cleobulus, nec puellæ

[1] Horace, I, 9, 9.

adsunt; vix semel aut bis apparet Bathylli nomen; in universum repræsentantur pueri amabiles κούρους εὐπρεπεῖς... ἁπαλώτεροι Λυαίου... ἄπαλοι παῖδες nomine proprio carentes.

In universum quoque feminæ αἱ γυναῖκες nuncupantur. Nulli suum est nomen, ne tunc quidem cùm suam amicam depingi jubet, enumeratque quæcumque in illâ formosa sint.

Pro paucis illis quos adamabat Anacreon pueris et puellis, innumerabilis adest amicarum atque ministrorum multitudo : pro fervido amoris calore, petulans ac festiva quædam lascivia obversatur nobis ante oculos quæ magis à libidine nasci, videtur quam ab animo vehementer commoto.

Quamobrem sicut ingeniosè criticorum unus animadvertit, amori illo juveni qui in summis montium cacuminibus insidebat, cuique omnes parebant Diique hominesque, successit amor pusillus, dolorosus, quem fatigat imber, quem apis aculeus ad lacrymas cogit. Poeta deum à se fabricatum atque ita mille miseriis jactatum ridet.

Nulla res est quæ ipsum poetæ declaret animum :

omnia ità sunt inventa, ità disposita ut omnibus locis, omnibus temporibus, omnibus hominibus, qui nihil curant nisi ut delectentur voluptatibus convenientia sint, modò græcos mores nobis repræsentemus.

Eadem animadvertenda est discrepantia inter parænia Anacreontis et Anacreontica odaria : in prisco Anacreonte mortis metus inter pocula senem ad tristiores cantus provocat : in novis autem mors non timorem affert; imò lætitiæ fit incitamentum : facilè agnoscere est hinc senem pavescentem mortis ora modis pallentia miris, inde juvenes ebrios ex Epicureorum philosophorum officinâ eductos.

Alioquin abundat tractatio locorum communium de Amore, de Compotatione : quid frigidius quàm istæ infinitæ enumerationes quibus utitur poeta, seu rósarum mellitam dulcedinem celebrare sumat seu amasiam describat pictori : non multò magis Baccho quam amori suo credit poeta.

Non tamen assero nullam cantiunculis inesse jucunditatem : imò, sed formâ non antiquâ satis et

simplici ut mereantur illas laudes quibus Hermogenes Teii vatis ἀφέλειαν prosequebatur.

Diutiùs, si liberet[1], possemus morari in veteris poetæ laudatione comparati cum imitatoribus. Sed quivis eadem per se satis inveniet, modò attentè testimonia veterum fragmentaque ponat juxta Anacreontica. Malo igitur alia depromere argumenta quæ contra antiquitatem odariorum valent.

Anacreontem Ionicâ dialecto usum esse probabile est quòd Ionicâ civitate oriundus ferè semper in Ionicis civitatibus egit Sami, Athenis, Abderæ. Illum Dio Chrysostomus Polluxque grammaticus Ionum poetam vocant : Maximus Tyrius Suidasque affirmant Anacreontis Ionismum : cujus quidem non desunt exempla in fragmentis.

Immutatæ sunt sæpissimè dialecti in diversis ejusdem regionis partibus aut etiam in eâdem urbe, seu propter institutorum seu propter morum corruptelam. Sic ipsa dialectus Ionica multas vices

[1] Vide Sainte-Beuve, Tableau historique et critique de la poésie française, chapitre intit. Anacréon au seizième siècle, édit. Charpentier, 441.

perpessa est; nec Homerici ioninismi Hippocrateis similes sunt: Herodotusque quatuor ionicæ dialecti species recenset[1].

Dialecto fortassè illâ quâ Lydiæ urbes ut molliori ac læviori usus est, profectò jam politâ atque elegantissimâ. Nempe illam conformaverant post Homerum Archilocus compluresque alii.

Hujus quidem dialecti ea natura erat ut consonantibus aspiratis abhorreret, quidquid asperum et duriùsculum vitaret, sic μοκλὸν pro μοχλὸν, ἐπίστιος pro ἐφέστιος.

Pro tribus vocalibus ab Ionibus pleniores poni solent, pro α, η, κρητῆρι, pro ο, ου, κοῦραι, pro ε, ει, εἵνεκα.

Plenioribus ferè semper in formis primæ declinationis utitur Anacreon λύρη, πέτρης, σφαίρη, λυδίην. Σμερδίη.

In verbalibus formis nusquam ferè omittit augmentum, imò duplex reperitur ἐξυνήκεν. Non contrahitur secunda singularis numeri medio persona ἐπιστρέφεαι.

[1] Herod., I, 142.

Nolim lectorem oblivisci nos ex fragmentis tantùm pronuntiare quæ quidem ad nos pervenêre omninò manca et mutila, sed hæc mihi concludenda videntur.

αε	contractione fit	α	μνᾶται, f	LXVII.
αει	—	ᾳ	ἡϐᾷς	XXII.
αο	—	ω	διψῶντα	LII.
αου	—	ω	σκιρτῶσα	LXXIX.
εοι	—	οι	φιλοιεν	XLIII.
οο	—	ου	γουνοῦμαι	I.

Videre licet quàm paucæ sint solutæ formæ; contractæ verò abundant. Ferè nusquam in Anacreonte dorica dialectus apparet : quâ in re discedit ab Homero qui quâlibet dialecto juxta utitur. Si quando illam Anacreon usurpet, sedulò cavet ne nimio asperorum verborum conflictu lævitas orationis contaminetur.

Bergkius quidem multa doctissimè in præfatione collegit Ionismorum Anacreontis exempla ad quæ remitto si quis plura his noscere velit.

Dialectorum contrà maxima confusio apparet in Anacreonticis; doricæ formæ ionicis admiscentur

sine ullâ veritatis necessitate; etsi plurimi sint hanc varietatem dialectorum excusare conati, hanc tamen nos approbare nos possumus[1] : « Nunquàm « enim, quemadmodùm luculentissimè dictum est « in Meleagri præfatione, demonstrari poterit ho-« mini paulò intelligenti poetam nisi pessimum in « uno carmine, uno tenore recitando, nunc purè « doricas, nunc ionicas formas ut quæque in buc-« cam venerint sine omni dialecto conjungere « potuisse. » Cur demùm antiqui qui æquabilitatem in omnibus tantopere amârunt, hic tam turpiter omnes ejus leges violâsse censendi sunt? Qui in his ad aurium judicium provocant, quasi quædam formæ contra vulgarem dialectum suaviùs accidissent, sibimet ipsi repugnant, nec reputant in commixtione rerum diversarum et discrepantium suavitatem ullam inesse non posse. — Atque hæc dialectorum confusio ibi potissimùm ingrata

[1] Meleagri epigrammata tanquam specimen novæ recensionis Anthologiæ græcæ, ed. Græfius, Lipsiæ, 1811, cum observat. criticis.

est, ubi eam offendimus in brevibus carminibus quibus summa meritò concinnitas debetur.

Hæc mala quidem consuetudo commiscendi dialectos diversas nata est, cùm jam unumquodque poeseos genus patriam suam transgressum est, ità ut dialecti nòn jam in ore hominum, sed in putridis chartis, quemadmodùm ait Jacobsius, delitescerent. Indè iidem homines diversis in scribendo dialectis utebantur, sonoramque doricæ dialecti amplitudinem ionicis formis admiscebant.

Adde quod carmina convivàlia magìs quàm alia injuriam aut hominum aut temporum pati debuerant. Non ità tamen hæc excusatio valet ut auctores anacreontorum turpis ignorantiæ crimine liberentur, si præsertìm illos compares cum vero Anacreonte qui tam fideliter ionicæ dialecto inhæret, nec serviliter tamen, ut liquet ex fragmentis.

Longior et gravior multo criticorum labor in metris versatur : hinc enim diversitas doctissima metrorum, indè contrà uniformitas barbara illis argumenta plurima suppeditaverunt.

Summa enim erat in prisco Anacreonte varietas :

nemo non nescit quàm variare metra excellerent græci veteres poetæ ut meliùs redderent intimos affectus. Pessundat contra antiquitatem Anacreonticorum fastidiosa simplicitas quam quivis agnoscet, si modò rem attentiùs considerare velit.

Ante Hermannum multa erat contentio de metris anacreonticorum : plerique existimabant illa metro iambico composita esse : sed ab initio secundi pedis longa syllaba in iambico metro intolerabilis est. Hodiè fere omnes consentiunt in hoc illa esse composita dimetris ionicis à minori cui sæpissimè assuitur metrum trochaicum quemadmodùm in ionicis a minori fit. Hæc si credimus Hermanno, sunt anacreonticorum metra, ubique ferè eadem : idem quidem in odis Sophronii fit. Nonnullis anacreonticorum nullum aliud metrum nisi octo syllabæ continuatæ, non sine accentu in penultimâ, sicut in ὅταν πίνω τὸν οἶνον ; adde tandem frequentissimas allitterationes quibus veteres græci cum prudentiâ summâ utebantur.

Antiquus Anacreon sagacissimè orationem et versuum formis alligat et modis : solet ferè eum-

dem numerum continuare, nec semper tamen perpetuitate utitur numerorum profluente ac perenni : sed eam et æqualium et variorum membrorum articulorumque intervallis discriminat : minutiores sæpè strophas usurpat. Sed numerum si quando alio genere mutat, prudenter ita temperat ut propositam sententiam versuum systema sequatur.

Cùm iambicis usus est metris, tetrametrum Iambicum catalecticum, trimetrum acatalectum, dimetrum acatalectum, dimetrum catalectum adhibuit : cum trochaicis, tetrametrum acatalecticum, cum dactilicis, tetrametrum catalecticum. Nec desunt plurimæ species ionicorum versuum aut Glyconicorum; ubi audientes vult ad hilaritatem deducere, quotiesque est cum Venere et Baccho, tunc glyconeis versibus utitur; cùm invehitur, choriambico metro, quod sagacissimo frequentium iamborum usu temperat.

Secutus est severissimam metrorum legem cui se adstringebant tantâ cum religione veteres lyrici : nam cuique generi cantilenarum, cuique sententiarum formæ et colori suum addicebatur

metrum, suus pecularis erat versus, quem relinquere non poterat poeta nisi meliora allaturus Sic ad hanc perfectionem limatam et absolutam perveniebant quâ eos esse miramur.

Verùm hoc summum artificium plerosque fefellit : cùmque nitidâ quâdam simplicitate lateret, indè factum est ut adeò pecus imitatorum succreverit. Crediderunt plerique se facillimè posse illos felicis curiositatis summos lepores assequi, quos nec planè intelligebant, nec satis sentiebant : indè tam multi se ad illius imitationem contulêre, tam pauci longo vel intervallo, proximi esse potuerunt.

Quod si Anacreonticæ istæ imitationes tot editores nactæ sunt, hujus favoris nulla est alia causa, me judice, nisi quod sensûs simplicitas, et circumscriptio brevissima odariorum peritos græcarum litterarum imperitosque allexit.

CAPUT QUINTUM.

CONCLUSIO AC THESES.

CAPUT QUINTUM.

CONCLUSIO AC THESES.

Hæc atque talia æsthetica vel grammatica argumenta, modò cum historiâ textûs Anacreontici conjungantur, mihi satis superque resecare videntur illam de ætate odariorum quæstionem, quam nobis in hâc dissertatione solvere proponebamus : nunc enim ex omnibus quæ suprà dicta sunt hæc concludo colligoque.

THESES :

1° Antiquitatem Anacreonticorum pessundant tum litteraria et grammatica argumenta, tum multò magis enarratio vicissitudinum quas experiri de-

buit genus anacreonticum vetusque Anacreon seu propter profanorum, seu propter christianorum imitatorum multitudinem.

2° Nullum verè Anacreonti assignari potest horum quæ circumferuntur odariorum; nec enim colligi debet ex eo quòd melioris notæ sunt carmina, ea ab ipso Anacreonte composita esse; nam si doctè imitari Teium poetam potuêre nonnulli poetæ, cur non illum perversè multi imitati essent?

3° Odariorum collectio tamen nobis fortasse satis fideliter repræsentare potest convivalia Anacreontis carmina : namque ea erat natura hujus carminum generis, ut rarissimas vel rerum vel sententiarum mutationes perpeti debuerit.

4° Non unam eamdem diversis carminibus ætatem assignare licet; his satis vetus origo, his contra novissima est.

5° Antiquiores quidem cantilenæ seu propter ipsam simplicitatis affectationem, seu propter bellulum nescio quid et delicatulum Alexandrinæ ætati mihi attribuendæ videntur, circàque veri Anacreontis imitationem versantur.

6° Plurima horum odariorum à quarto post Christum natum sæculo usque ad septimum composita fuêre : nec his deest sua jucunditas, suus lepos, quem reddere conati sunt christianorum poetarum hymni.

7° Alia non jam ipsius Anacreontis, sed imitationum anacreonticarum imitamenta, seu propter metri inscitiam, seu propter verba christianis peculiaria octavo vel nono sæculo meritò assignabuntur.

8° Nonnulla, quæ constant ex politicis versibus, vel seriorem originem sibi vindicant.

Duaci Sribebam.


VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. non. mart.
ann. M DCCC XLVIII.
Facultatis Litterarum in academia Parisiensi decanus.
J. VICT. LE CLERC.

Typis Mandetur.

ROUSSELLE,
Rectoris vices gerens.

CAPITUM DISSERTATIONIS HUJUSCE
INDEX.



Paris. — Imprimerie Bonaventure et Ducessois, 55, quai des Grands-Augustins.